
Supremo Tribunal de la Signatura Apostólica. Decreto por el que se admite el recurso contra parte del Decreto del Pontificio consejo para los Laicos, de 20 de enero de 2012

Prot. n. 45064/11 CA

N

Decreti d. 13 decembris 2010 circa “Confraternidad de X”

(Exc.mus Archiepiscopus – Pontificium
Consilium pro Laicis)

Cl.mus D.nus Y, sodalis consociationis publicae X de P, die 22 martii 2010 epistulam ad Exc.mum Archiepiscopum N dedit, qua –haud prima vice– querebatur de loco in indice X Maiorum sibi tributo. Incassum, enim, ceciderat solutionis conamen sive Rev.mi Vicarii Episcopalis sive Rev.mi Vicarii iudicialis sive Rev.mi Visitatoris canonici. Nulla pariter solutio provenerat ex congressionibus, quos Exc.mus Archiepiscopus cum sodale et cum Consilio administrationis consociationis habuerat. Siluit, tamen, Exc.mus Archiepiscopus et nullam dedit praefatae epistulae responsonem.

Interea Cl.mi fratres D.ni Z et V suos locos habere in eadem consociatione apud Exc.mum Archiepiscopum contenderunt. Qui pariter silere perrexit.

Hierarchico recursu proposito adversus assertam inertiam Exc.mi Archiepiscopi N, Pontificium Consilium pro Laicis decreto die 13 decembris 2010 lato, statuit: Cl.mum D.num Y suum locum habere in indice X Maiorum post Cl.mum D.num R et ante Cl.mum D.num S atque hoc modo, post renuntiationem in favorem Cl.mi D.ni R, anno 2012 ipsum solemnitates in honorem Beatae Mariae Virginis apparaturum esse; Cl.mos fratres D.nos Z et V suos locos habere in indice consociationis, intra terminum triginta dierum utilium a decreto notificato portionibus annualibus ab anno 2004 solutis; Exc.mum Archiepiscopum invitandum esse atque invitari ad Commissarium consociationis designandum, necnon suo tempore, discretioni Exc.mi Praesuli concredito, electiones convocare ad consilium consociationis renovandum, in quibus electionibus Cl.mum D.num T absque voce passiva esset quoad officium Secretarii.

Quod adversus decretum Exc.mus Archiepiscopus die 19 februarii 2011 ad H.S.T. recursum proposuit ac actus impugnati suspensio simul petita est, quam haec Signatura Apostolica concessit tantum relate ad decisionem Pontificii Consilii de Cl.mo D.no Y inscribendo in indice X Maiorum post Cl.mum D.num R et ante Cl.mum D.num S ac proinde de iure ipsius Cl.mi Viri anno 2012 solemnitates in honorem B.M.V. apparandi.

Memoriali pro Exc.mo Recurrente die 9 maii 2011 atque pro Pontificio

Consilio pro Laicis necnon pro Cl.mis
D.nis Y, Z et V die 10 octobris 2011
praebitis, Rev.mus Promotor Iustitiae
die 28 decembris 2011 votum pro rei
veritate prompsit.

Scripturis omnibus rite commutatis,
die 9 ianuarii 2012 Cl.ma Resistentium
Patrona respondit.

Quibus praehabitis,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Praemisso circa praesupposita re-
cursus quod:

- legitimatio activa Cl.morum
D.norum Z et V ad recursum hie-
rarchicum proponendum certa
habenda est, quia, cum ipsi as-
criptionem vindicent confraterni-
tati, non relevat asserta eorum di-
missio ab eadem confraternitate;
- termini ad recursum die 22 martii
2010 apud Exc.mum Archiepisco-
pum propositum non relevant
cum Dicasterium Curiae Roma-
nae successivae provocationi re-
spondere voluerit et responderit:
iuxta communem H. S. T. iuri-
sprudentiam decisio Dicasterii
competentis, quae meritum peti-
tionis ingreditur ac nullam prae-
iudiciale quaestionem movit,
apud H. S. F. legitime impugnari
potest, quin de terminis antea
non servatis vel de remonstratio-
ne non praemissa apud hoc Su-
premo Tribunal quid excipi
possit;

Pro comperto habito quod, ad ratio-
nes quod attinet, quibus decisio Ponti-
ficii Consilii innititur, referri debet ad
relationem quam Rev.mus Vicarius

iudicialis post visitationem canonicam confecerat;

Ad primam statuitionem decreti impugnati, id est de loco ad Cl.mum D.num Y in indice X Maiorum pertinente, et *ad secundam statuitionem* quod attinet, id est de haud intermissa confraternitati adscriptione Cl.morum D.norum Z et V a Pontificio Consilio decreta, perspecto quod recursus fumo boni iuris gaudet;

Ad tertiam statuitionem decreti impugnati quod attinet, id est de Commissario confraternitatis nominando, electionibus postea indicendis atque de voce passiva in iisdem electionibus Secretario adimenda, animadverso quod recursus ab Exc.mo Archiepiscopo apud hoc Supremum Tribunal praesupposito caret; nam:

- recursus contentiosus administrativus apud Signaturam Apostolicam proponi potest adversus actus seu *decisiones* potestatis administrativae (cfr. art. 106 Const. Apost. *Regimini Ecclesiae universae*; art. 123 § 1 Const. Apost. *Pastor bonus*);
- designatio Commissarii consociationis verbis praescriptivis a decreto impugnato haud est imposita, sed uti adhortatio ad Exc.mum Archiepiscopum proposita; item asserendum est de subordinatis electionibus et de adhuc subordinata voce passiva «en esas elecciones» Secretario adimenda;

- nemini ceterum ex hac exclusa impugnatione praeeudicium affertur; mox ac Pontificium Consilium pro Laicis effectus iuridicos

ex adhortatione trahere voluisset
vel adhortationem in decisionem
vertere decrevisset, aditus patet
Exc.mo Archiepiscopo necnon
Secretario confraternitatis ad re-
cursum;

Praetermissis ceteris forte animad-
vertendis;

Vi art. 83 *Legis propriae* qua regitur
haec Signatura Apostolica;

Re sedulo examini subiecta in Con-
gressu die 20 ianuarii 2012 *coram* in-
frascripto Cardinali Praefecto habito,

decrevit:

Recursum adversus primam et se-
cundam statuitionem decreti, a Pontifi-
cio Consilio pro Laicis die 13 decem-
bris 2010 lati, ad disceptationem *coram*
Em.mis atque Exc.mis Patribus Iudici-
bus admittendum esse ac facto admitti;

Recursum vero adversus tertiam sta-
tuitionem eiusdem decreti ad discepta-
tionem *coram* Em.mis atque Exc.mis
Patribus Iudicibus admittendum non
esse ac facto non admitti, quia manifes-
to caret praesupposito.

Et notificetur omnibus quorum in-
terest ad omnes iuris effectus.

E sede Supremi Signaturae Aposto-
licae Tribunalis, die 20 ianuarii 2012.

Raimundus Leo Card. BURKE
Praefectus

Franciscus DANEELS, o. praem.
Secretarius